Hec sunt verba septem que misit abbas moyses abbati pastori in quibus continetur consummata virtus et perfectio monachi

1 mortuus in tenere iudicando

Dixit abbas moyses primo. Quia debet homo
quasi mortuus esse socio suo. mori animo suo. ut non iudicet eum in aliqua causa. Secundo dixit. quia debet mortificare seipsum ab omni re mala priusquam egrediatur de corpore ut non ledat ullum hominem. Tercio dixit. Nisi humiliter in corde suo homo

2 in male agendo mortuus

3 cognoscat peccata sua

habuerit quia peccator est. deus non exaudiet eum. Dicit ei frater. Quid est in corde habere quia peccator est. Dicit ei senex. Si quis portat peccata sua. non videt peccata proximi sui. Quarto dixit. Nisi consonat actus orationi. inaniter laborat homo. Et dicit ei frater. Quid est consensus actus cum oratione. Respondit senex. Ut ea pro quibus oramus iam non faciamus. Cum enim homo dimiserit voluntatem suam. tunc ei reconciliabit deus. et suscipit orationem eius. Quinto interrogavit senem frater dicens. Quid in omni labore hominis. quid est quod eum iuvat. Senex respondit. Fiducia erga deum. Scriptum est enim. Deus noster refugium et virtus. adiutor in tribulacionibus que invenerunt nos nimis. Dixit iterum frater. Ieiunium et vigilie quas facit homo quid efficiunt. Ait illi senex. Cum ipsa sunt que faciunt humiliare animam. Scriptum est enim. Vide humilitatem meam et laborem meum. et dimitte omnia peccata mea. Si ergo fecerit anima labores istos. miserebitur super eam deus propter eos. Sexto interrogavit senem frater dicens. Quid faciet homo in omni temptacione veniente super se. aut

4 operatio cum oratione

5 fiducia in deum labor et ieiunium

6 flere ad deum in temptationibus

in cogitacione inimici. Ait ille senex. Flere debet in conspectu bonitatis dei ut adiuvet eum et requiescet velociter si rogat sapienter. Scriptum est enim. Dominus michi adiutor. non timebo quid faciat michi homo. Septimo interrogavit iterum frater dicens. Ecce homo cedit servum suum propter peccatum. quid dicat servus ille. Ait ei senex. Si bonus servus est dicat. peccavi. miserere mei. Dicit ei frater. Nichil aliud dicit. Respondit senex. Non. Ex quo enim culpam suam super seipsum posuerit et dixerit peccavi. statim miserebitur ei dominus suus. Finis autem horum est. non iudicare proximum. Cum enim manus domini occidit omne primogenitum in terra egipti. non erat domus in qua non esset mortuus. Dicit ei frater. Quid est horum verbum. Respondit senex. Quia si conspexerimus peccata nostra. non videmus peccata proximi. Stulticia est homini habenti mortuum suum eo relicto abire et flere mortuum ~~fratris~~ proximi sui. Mori autem proximo tuo. hoc est portare peccata tua. et sine cogitatu esse ab omni homine quia iste bonus est. et iste malus est. et ne facias malum ulli homini. neque cogites malum in corde tuo in aliquem. neque acquiescas facienti malum. neque sperneles aliquem facientem malum proximo suo. et hoc est mori proximo suo. Et noli obloqui de aliquo sed dicito. Deus cognoscat unumquemque. Noli consentire obloquenti. neque congaudeas ei in detractione ipsius. Noli odisse obloquentem proximo suo. et noli detrahere proximo. et hoc est. nolite iudicare. et non iudicabimini. Non habeas inimicicias cum quocumque homine. neque retineas in corde tuo inimicicias.

7 cognoscere peccata sua et relinquere peccata aliena

Hec verba septem que misit abbas moyses abbati pastori in quibus consummata virtus et perfectio monachi

neqz odio habeas eū qui inimi
cat' cū proximo tuo et nō conſen
cias inimicicijs ipius. Noli deſ
pice eū qui inimicicias habet
cū proximo ſuo. et hec eſt pax.
In hiis temetipm conſolare.
Modico tpe eſt labor. et in ſe
piternū eſt requies. Amen

explicit .

LANDES-
UND STADT-
BIBLIOTHEK
DÜSSELDORF

b


TIFFEN Color Control Patches
© The Tiffen Company, 2007
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
Inches
Centimetres
TIFFEN Gray Scale
© The Tiffen Company, 2007
R G B W G K C Y M
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19